



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **T. Petroni[i] Arbitri in Dalmatia nuper repertum Fragmentum**

**Petronius <Arbiter>**

**Lipsiae, 1666**

Scholia Supernumeraria à Reinesio. ad pag. 15.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12903**

## SCHOLIA SUPERNUMERARIA

à REINESIO.

ad pag. 15.

**I**N Curia autem quomodo singulos vel pilabat, tractabat) Describit mores Sabinii, unius è primatibus Coloniae, nim. Aedilis; & hinc ita legenda sunt & distingvenda ista: *In Curia autem quomodo?* scil. se gerebat? *Singulos velut pilas tractabat;* i. e. versabat, vexabat, agebat, ferebat, quoquo vellet, jactabat, instar pilarum, tanquam sibi obnoxios, ἰσοχρηστέως in manu potestateve sua positos. Tractum id pro verbii è prologo Captivorum Plautinae v. 22.

*Enimverò DI nos quasi pilas homines habent.*  
Id est, ludunt in humanis, & de hominibus.

35. *solebas canturire, belle de verbia adjicere, mellicam, heu, heu! ab istis dulcis carica)* Legam, *melitari* heu, heu! *ab istis dulces caryca!* *Melitari* factum è *Græco μελετᾶν: μελέται* vero sunt exercitationes rhetoricorum, declamationes; *Inde melitari* idem quod perorare, declamare, recitare. *Diomedes* l. 1. è *Plinio* eundem landat *Charisius in primo:* ejus librum tertium *Artis Gram. Gregor. Turon. pref. l. 1. Vit. Pat. Salamon Ep. Constantiensis in Lexico* passim) *docentem* esse *secum cogitentem;* *melitentem* vocat *dicentem.* In reliquis deplorat se jucundis ejus narrationibus nunc carere: q. d. ἔρρετε, ὀλώλας ἀσπασμοὶ συμπολικοὶ καὶ διηγήματα παιγνιώδη γελοῖα; *perriistis,* quæ nos exhilarare solebatis. Vocat autem id genus per metaphoram *carycas,* i. e. scitamenta conditanea. Propriè *Καρύκη, καρυκεία, καρύκειμα.* Ἡρ.

*Hippocrati & Galeno* est edulium, intritum, seu miscella è variis condimentis delicatis adparata, ἐκ πλειόνων ἀρτυμάτων συνιδέμελλον ὑποτρίμματ' εἶδ'. *Erot.* Lydorum inventum esse è Timonis Sil-  
lis refert *Athen.* l. 4. § 12. & à scriptoribus τῶν ὀψαρ-  
τυλικῶν celebrari: nominat *Lucianus in Conv.* χυμὸς καὶ πέμμαλα καὶ καρυκίας: *Max. Tyrius diff.* 11. ἡδύ-  
σμαλα, τρεφὴν ποικίλην, καρυκίαν: *Basilus Casarien-  
sis apud Theodor.* 4. *hist. Eccl.* 19. Præpositum culinæ:  
Σόν ἐστὶ τῆς τῶν ζωμῶν καρυκίας φρογτίζεν. tuum est  
juscularum condicuras curare: & *Nilus Constantinop.  
mensam ἀκαπνον*, simplicem, ἀδαπάνηον, solis ole-  
ribus radiculis & horariis fructibus constantem dixit  
ἀκαρύκευτον καὶ ἀτεχνον. Poteram etiam de *Cariciis*,  
quæ sunt siccatae ficus, ἰχάδες, dulci sapore commen-  
dabiles maximè, & inter mitiores cibos primæ om-  
nium receptæ à mortalibus, exponere: sed quod  
dixi videretur elegantius & *Petronio Φιλελληνικωτά-  
τω* dignius.

49. uno cursu centies sestertiū corrotūdavi) *Corrotun-  
dare* h. l. est corradere, coacervare, acquirere, respe-  
ctu habito ad formam nomismatis rotundā. Propriè  
loquitur *Seneca cum 7. natural.* 26. corpus *Cometarum  
corrotundari*, splendorem autem longum adparere di-  
cit: id Græci efferrent, συσρογύλεται vel συσρογ-  
γυλῆται & συσφαρῆται. Adivo συσρογύλειν utitur  
*Alexis in Phædro apud Athen.* l. 4. de eo qui patrimo-  
nium dissiparat & in ventrem condiderat; σφαῖραν  
ἐποίησε τὴν πατρώαν ἑστίαν ἕτω συνεσρογύλεν ἰτα-  
μῶς καὶ ταχὺ: i. e. in rotundam s. pilæ formam rede-  
git substantiam paternam; adeò impudenter & ce-

leriter corrotundatam deglutiit; & *Nicomachus* apud  
*eundem* l. 2. abliguritorem rei paternæ hæc de se lo-  
 quentem introducit:

Ουσίδιον γὰρ καὶ αλελειπότος μοι πατρός  
 ἔτω συνετρογύλικα καὶ ἔξεκόκκισα  
 ἐν μηνσὶν ὀλίγοις, ὡς περὶ ὄν τις ῥοφῶν.

i. e. rem quam pater mihi reliquerat sic corrotunda-  
 davi & egranavi paucis mensibus, ac si quis ovum  
 exorberet, in quo nimirum à sorbitione nihil remane-  
 ret. Τὸ ἔξεκόκκισα quod legit *Scal. ad Varr.* nec satis  
 explicat, non intelligo; ἐκκοκκίζειν verò quod est e-  
 granare, exacinare, grana eximere rem planam reddere,  
 quæ enim grans, ceu medulla & fartura spoliatur  
 ea relinquuntur inania. Et hoc insinuat glossa apud  
*Varinum*: ἐκκοκκίσας, ἐξημώσας. Κόκκ. Ⓞ granum, se-  
 men imprimis globosum: κοκκία, globuli, pilule,  
 corpora minuta. Inde κόκκυ, τὸ ἐλάχισον; *Hejsebius*  
 interpretatur; *Varinus*, τὸ ὀλίγον. Et ab eo formatur  
 Latini *ciccum* quo utuntur pro re levi, & nihili, qua-  
 lis floccus, κρηκὺς, fili recrementum, pluma, ach-  
 ne, hitta, πασπάλη, & quodvis λε-  
 πτὸν ζύσμα.

